



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quare Ecclesia vtatur vna specie pro laicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

sum pro nobis, hoc est bibere fide sanguinem Christi:
 & ne tibi scrupulus sit, tam in potu quam in cibo fit
 sorbitio, & tu simul hæc facis fine omni periculo?
 Preterea, etsi salus non dependeat ab altera specie, &
 nihil periculi sit animæ, tamen propter charitatis &
 unionis vinculum optandum foret, vniiformem esse
 communionem in Ecclesia. Tanta enim dissidia, in-
 uidia, sanguinis effusio, quid tandem efficiunt?

Tertiò, res mortalium omnes habent principium,
 medium & finem: vnde fit, ut tantum sit, subito re-
 uocare velle finem & decrescentia ad primordia, quā
 tum si quis virum adultum ad cunas & infantiam vel-
 let retrahere: multa secum desert tempus, & rerum
 status mutatur cum temporibus, & ætas multa mu-
 tauit in melius, sicut ceremonię, ordinationes & e-
 iusmodi sæpè cum tempore mutantur & statuuntur,
 semper tamē manente doctrina fidei: quæ nullū pa-
 titur medium nec finē. Ecclesia itaq; ordinat pro tem-
 pore, & statuit secundum quod melius est, secundum
 conditionem temporū, mores hominū &c. Olim cor-
 pus Dominicum dabatur in manū, vt fideles domi,
 cū vellent, sumerent: at cum intelligeret Ecclesia, q̄
 essent qui indignè tractarent, nemp̄ ad artes magi-
 cas incantationes, mutauit hanc consuetudinē in me-
 lius, nimirū vt per ministrū vel sacerdotem in do-
 mos, vbi infirmi essent, portaretur. Quod autē olim
 Ecclesia porrexit vtranq; speciē, hoc fecit contra vi-
 tandā hæresim Manicheorum, qui negabant Christū
 habuisse veram carnem & sanguinem: vel etiam pro-
 pter confortandos martyres Christi, vt vel sic sanguine
 suum pro Christo effundere non trepidarent, si-
 cut Cypr. inquit. Quod autem postea Ecclesia vtrāq;
 abrogauerit & vnam instituit, vt sub qualibet specie
 totū Sacramentū esse crederetur, fecit cūm inciperet
 error Nestorij, qui diuidebat Sacramentū, vt tantum sub

sub hostia corpus & non sanguis, & sub vino tantum sanguis esse diceretur. Sic porrò ex alijs causis penituli effusionis &c. ordinavit Ecclesia unā speciem, panis scilicet idque non ut carnales blaterant, quia sacerdotes velint meliores aut sanctiores esse Laicis, sed quia nemo ritè utrāq; speciem sumit, nō consecrās, id est, sacerdos, cui data est potestas cōlebrandi utrāq;: sed extra consecrationē nemo nisi. nam speciem sumit, tā imperator, quām colonus &c. Præterea Christus ipse semel sub una & semel sub utrāq; specie cōmunicauit, sub utrāq;, Apostolos suos duodecim in cœna tanquā sacerdotes, Matt. 26. sub una specie, Discipulos in Emaus & alios laicos, Luc. 24. idq; secundū interpretationem Patrum, qui illā cōmunionem in Emaus factam, Sacramentalem esse affirmant, ut Theophylactus, Chrysostomus, Augustinus, Beda, Thomas ac reliqui. Apparet itaq;, Chn. stū innuisse, licet posse fieri communionē non solū sub utrāq;, sed etiam sub una tantū specie. Ecclesiastiq; habet dispensare, mutare, &c. Sed venio ad conciendos sectarios: Quod si sola fides saluat & iustificat, quomodo non in una specie fides saluat? aut diuidendo dicitis, alterā quoq; ad salutem necessariam esse? Si credunt Luterani, sub qualibet specie esse corpus & sanguinem: ergo sufficit vel unum accidere in fide ad salutē. Si autem hoc negant, tunc Christum diuidunt, occidunt, sicut Iudæi, qui diuiserunt sanguinem à corpore eius &c. Luterani quantuor accipiunt species, id est, corpus, sanguinem, & panem quem dicunt remanere post consecrationē & vinum, quod & ipsum, ut ipsi dicunt, remanet &c.

CAPUT XIII.

ARGUMENTA.

1. *Quid sit publicum sacrificium Ecclesia sive Missa:*

2. *Quid*